

negotiorum onustus, minime gravatus fueris. Pro qua re immortales gratias illi merito agunt et habent, habituri quoad vixerint. Ego vero, cum et longe antea illorum causam apud illust. D. V. egissem, et admodum humane liberaliterque tractatus essem, deinde vero et una cum illis consociatus Varsaviæ tuorum beneficiorum æque atque illi particeps exitissem, cœpi cogitare si quo modo aliquod signum grati animi in tam optimum atque beneficentissimum patronum dare possem. Atque ut nunc sunt præsentēs res quas de concordia atque unitate ecclesiarum tractamus, quasque præ manibus habemus, si quid esset quod huc spectaret, illud offerre tuoque nomini dicare et consecrare non dubitabam, tum ut gratus erga tantum principem esse cognoscerer, tum ut omnibus constaret talem ac tantum virum, qui, si senatoriam dignitatem spectes, regiæ maiestati proxime accedat; si pontificiam, longe antecedit, et cui nil antiquius quam in Deum pietas sit et religio, huic tam honestæ, iustæ et piæ causæ non defuisse. En itaque Ioannis Becci, Constantinopolitani patriarchæ, defensoris acerrimi catholici dogmatis, *Inscriptiones*, quas ego e græcis latinas feci, in selecta sanctorum dicta de processione spiritus sancti, et contra eas Confutationes Palamæ, et adversus Palamam pro Becco Bessarionis Apologia sese mihi offerunt. Sane quidem opusculum, si molem spectes, perexiguum: si argumentum, amplissimum: si vim atque naturam quodammodo illi insitam atque innatam, peracutum, efficax, acre, grave, ac non immerito cum seminibus comparaveris, ex quibus, alioquin minutissimis, stirpes, ramos, truncos, denique excelsas arbores natura gignit et procreat. Ex hoc quoque, ut ego existimo, tot postea clarissimorum virorum sempiternæ memoriæ monumenta, tot gravissimæ, tamque prolixæ orationes Gennadii, Bessarionis, Gregorii Protosyngeli et aliorum emanarunt. Ac, licet quam ornatissimum illud offerre tanto principi vehementer optaverim, quod aliquo modo sane fuisset, si sententias patrum, quæ hic desiderantur, et quas alii quod maxime notæ essent, silentio præterierunt, denuo collegissem; illud tamen non

